



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, 1616

Cap. XLIII. Homines Societatis eum orandi modum sequi debent, qui in nostris traditur exercitijs; eorum excellentia, atque ad ea exhortatio

urn:nbn:de:hbz:466:1-43347

cedas animas : ipse autem Deus præcipuus Dux
est & Magister , quem reliqui sequi debent , vt di-
ctum est . Quando autem ipse Deus speciali gratia
non præuenit , sequendæ sunt generales regulæ in
eius Ecclesia nobis relictæ . Sed tam hæ , quàm illæ
speciales , & omnes diligentia ac industria diri-
gendæ sunt ad excellentissimum omnis bonæ O-
rationis finem & fructum , amplectentis quæcum-
que supra retulimus .

CAPVT XLIII.

*HOMINES SOCIETATIS EVM
orandi modum sequi debent , qui in nostris
traditur exercitiis ; eorum excellentia ex-
plicatur ; additur q̄ quædam valde
spiritualis utilis q̄ de eisdem
exhortatio .*



RATIONES in proximo capite
positæ sufficienter declarant
excellenciam , & securitatem
eiusmodi Orationis , quem Pa-
ter noster S. Ignatius in suo ex-
ercitiorum libro tradit : est que
in Societate in communi vsu
in quo libro continentur res omnes necessaria
ad perfectam mentalem Orationem , quam pos-
sunt homines quærere , cooperantes sua diligen-
tia & industria Dei motioni , eiusque gratia
quæ semper nos præuenit excitatque , vt illi
cooperemur . Ponuntur enim in eo præparationes

Ii 4 ad Ora-

ad Orationem; argumenta & mysteria meditationum; affectus ex eis deducendi; colloquia cum Deo instituenda; ratio, & modus potentias animæ ad hæc omnia applicandi, fructus & profectus, ad quos hæc sunt dirigenda; reflexiones & examina circa eadem instituenda, ad puriorem & excellentiorem fructum colligendum: tradit etiam modum ad contemplationem & perfectum Dei amorem ascendendi, & internis sensibus cum quiete ijs fruendi, quæ in ipsa meditatione occurrerunt. Quod totum fusiùs declarauimus in nostris libris Meditationum, & Ducis spiritualis.

§. I.

NVNC subiiciam speciales aliquas rationes, ob quas homines Societatis debeant hunc Orationis modum, quem P. nosser S. Ignatius in suis exercitijs nobis reliquit, tenere, magnamque eorum opinionem habere. *Primum* est, quod ut Philosophi dicunt, res omnes eisdem causis conseruantur & augentur, quibus fuerunt generata: cumque Societas in suis iuitijs fuerit per hunc modum Orationis sensim generata, quo (ut P. Ribadenerius lib. 1. vitæ S. nostri Patris cap. 8. ostendit) vocati fuerunt & inceperunt primi nostri Patres, & ad magnam sanctitatis celsitudinem peruenerunt: Eadem igitur via nos eorum filij & successores ire decet: per quam, nisi nobis ipsis desinamus, ad eandem perfectionis altitudinem perueniemus.

DEINDE ex traditione habemus, quod Deus D. N. reuelauerit Sancto nostro Fundatori ac tradiderit

diderit hæc exercitia: (vt statim videbimus) nec dubium, quod non sint ipsi pro se solo tradita, sed vt per ea, religionem hanc Societatis plantaret, ad cuius fundationem eum elegerat; eaque filiis ac successoribus suis communicaret; essentque præcipuum armorum genus, quibus bellum Dæmonibus inferrent; animarum verò salutem promouerent; & ipsa experientia, id ita esse ostendit stupendis mutationibus & fructibus, quos in plurimis omnium statuum personis protulerunt: æquum igitur est, eum nos modum amplecti, & sequi tanquam nobis à Deo D. N. in magnam nostram vtilitatem traditum. Et liceret etiam ipsos homines Societatis, qui nunc viuunt, testes huius vtilitatis adferre: ipsis enim manibus (vt dicitur) palpant spiritus renouationem, quam sentiunt ex eo, quòd singulis annis recipiant se ad hæc exercitia per octo decemue dies facienda.

AD cuius rei Confirmationem oportunum existimaui, specialem quandam reuelationem hic referre, quam spero omnibus futuram consolationi. Ex multis personis, altissimæ Orationis, quibuscum egi (quæ non fuerunt paucæ, postquam cum eis ago) fuit quædam, cui Deus D. N. & Sanctissima eius mater extraordinarias valde fauores, & misericordias exhibebant; de cuius sincera veritate, cum aliquid dicit, habeo eam moralem certitudinem, quam in huiusmodi rebus homo habere potest. Illa inquam mihi dixit, quæ referam. Cum illa intelligeret, homines Societatis, ad hæc exercitia facienda, se colligere Anno 1600, pro more nostro recepto: voluit & illa in domo sua se colligere, vt eadem faceret modo, quo pos-

fet. Cumque coepisset, & mane quodam in sua O-
 ratione esset cum Domino, vidit oenlis mentis
 venientem, & ad se appropinquantem Sanctum
 quendam Angelam insignis maiestatis: quæ ob-
 stupescens nesciens quid hoc esse posset, dixit ei
 ille se esse Archangelum Gabrielem, & missum à
 Sacratissima Virgine, vt ipsam saluaret, & qua-
 dam significaret. Illa, quæ valde erat humilis, hoc
 audiens, magis obstupuit; seque contraxit, petent
 ad Angelo, vt priusquam referret, quæ in manda-
 tis habebat, permetteret ipsam diutius cum Deo
 D.N. de re adeò graui tractare (quod in huiusmo-
 di occasionibus facere solebat.) Angelus, cui val-
 de placet humilitas, & cautela, sanctaque illa ex-
 reuerentia contractio; respondit, id sibi valde pla-
 cere. Quare eo, quasi ibi non esset, prætermisso,
 accessit ipsa ad Dominum nostrum, (quem vbique
 præsentem esse fides sancta nos docet) magno-
 que animi sensu affectu suam ei miseriam & vili-
 tatem proposuit, humiliter petens miser cor-
 diam; & vt ab ea dignaretur auertere quidquid
 sanctissimæ eius voluntati conforme non esset.
 Cumque in his & alijs huiusmodi petitionibus
 aliquamdiu hæssisset, audiuit internam Domini
 vocem dicentis, vt quæ Angelus dicturus ei esset,
 audiret. Et illa certior & securior interius facta
 quòd totum illud esset Dei opus, eum in modum
 quo diuina sua Maiestas cum seruis suis agere so-
 let, & cum suis Prophetis faciebat, audiuit flexi-
 genibus, & magna cum reuerentia quæ S. Ange-
 lus in cõmissis habebat. Qui Reginae caelestis no-
 mine ei dicebat: exercitijs quæ facere cogitasti
 per mentis ratiocinationes & meditationes ma-
 gnitudo

S. Thomas 2.
 2. q. 171. a. 5.

gnitudinem Dei & infinitorū bonorum, quæ per Christum vobis cōmunicantur, (in eum ferè modum quo fiunt in Societate) singulare obsequium Reginae nostræ præstabis: significat enim tibi se fuisse & esse tanquam patronam & fundatricem illorum Societatis exercitiorum: nam se adiuuif- se ac docuisse S. P. Ignatium vt ita fieret, ideoque hoc nomine initium se dedisse huic operi: imò & se toto tempore vitæ suæ in Sanctis huiusmodi exercitijs fuisse occupatam, Hæc fuit reuelatio de cuius veritate (vt dixi) perpensis omnibus circumstantijs eius, cui facta est, non possum dubitare. Certoque credo, non illi personæ factam fuisse reuelationem propter se; sed propter nos: vt scilicet Societatis homines, ac cæteri, qui sanctis his meditationibus exercentur, aliquod eis tempus seorsim tribuentes, pluris ea faciant, & ad ea continuanda magis animentur: siquidem talem habent fundatricem, protectricem, & adiutricem, qualis est ipsa Virgo Sacratissima, Dei mater, quæ etiam ea fecit, licet cum maiori excellentia absque vlla cōparatione, quàm nos, voluitque rem hanc nobis manifestare, vt illustrissimum & sanctissimum eius exemplum sequeremur.

ALIA quoque ratio valde efficax permouere nos debet ad hunc orandi modum, eò quòd Oratio non sit proprius finis Societatis, nec aliarum Religionum mendicantium, quæ cum proximis agunt: sed earum tantum, quæ solitariam vitam ducunt; sed instrumentum quoddam vniuersale, quo simul cum alijs medijs vtimur, ad virtutes cōsequendas & animas Deo lucrandas: quare eam Orationis formam sequi debemus, quæ Dominus
noster

noster nobis designauit, tanquam proprium aptumque medium ad nostri Instituti finem consequendum. Ea autem forma est, quam noster Fundator nobis reliquit, quæ aptissima est ad finem prædictum; proinde perfectè per eam obtinebitur.

HAS & plures alias rationes collegit breuiter ac pulchrè Pater Ioannes Suarius, huius Prouinciæ Præpositus Prouincialis, in quadam exhortatione, quam ex hac occasione tunc habuit. Pater noster Generalis Euerhardus Mercurianus grauiter tulit, cum ex literis nostrorum intellexit aliquos singulari quodam spiritu, non satis composito, contemnere rationem & formam Orationis nostrorum exercitiorum: velleque inducere quandam nouam rationem orandi. Et ita de hoc argumento literas dedit, tum ad P. Balthassarem Aluarium, tum ad P. Prouincialem huius Prouinciæ, mense Martij Anno 1577. & has ego vidi, & ex eis accepi aliquas rationes earum, quas in proximis duobus capitibus posui. (idem autem & illæ continebant, quæ ad Patrem Balthassarem dabantur) vtrisque autem commendabat, vt iuxta ea, quæ in eis continebantur, dirigerent iuuarentque nostros, vt modum Orationis nostrorum exercitiorum magni facerent, & sequerentur. Quod vt exequeretur P. Prouincialis, (cum ego Anno 1578. in hoc Sancti Ambrosij Collegio vltimo anno Theologiæ studerem) exhortationem spiritualem ad nos habuit valde refertam spiritualibus monitis, sanctisque documentis pro ijs, qui Orationi incumbunt, quam ego statim in libello meo adnotavi, visumque mihi est ad rem fore, illam

hic

hic inferere eisdem ferè verbis; aliquibus tamen additis ad ampliorem eorum, quæ dicuntur, explicationem.

§. II.

Exhortatio P. Ioannis Suarÿ qua ostenditur, quanti sit momenti, quamq̃ tutus modus Orationis in exercitiis nostris præscriptus.

RATIONI omnino consonum est, nos gaudere, gratiasque Deo D.N. agere, quòd nobis modum præscripserit rectum ac secutum cum ipso agendi, qualis in nostris exercitijs continetur. *Primum*, quia si Aduocatus & Iudex, & vnusquisque alius cupit, datque operam, vt rectè suo munere fungatur, eò quòd agi videat de suo honore, facultatibus, aut vita: quantò magis optare debet religiosus rectè in suo munere agere, hoc est in agendo cum Deo: cum in hoc non solum de facultatibus, aut temporali vita agatur, sed de ipsa æterna. *Deinde*, quia si magni sit, quod qui aliquò proficiscitur, sciat se bonam viam tenere, absq; metu aberrandi, aut retrocedendi: quantò maioris erit solatij ei, qui agit de Oratione, quòd sciat se rectam tenere, ac tutissimam viam: esset enim valde molestum, si post aliquot annos in Religione & Oratione positos, deprehendat homo, se esse deceptum, eò quòd rectam viam nõ tenuerit. Quod autem nostrorum exercitiorum via recta sit ac tuta, intelligimus *primò* ex fructu, quem

quem videmus ea fecisse in multis animabus, & stupendas vitæ mutationes in multis omnibus personis. Deinde quod (vt Pater noster Euerhardus Mercurianus mihi dixit) Romæ ex traditione habeatur, Patrem Iacobum Lainium dixisse, Deum D. N. exercitia Patri nostro Sancto Ignatio tradidisse. Tertio quod præ omnibus solatium adfert & securos nos reddit, est approbatio Vicarij Christi quæ constat ex Bulla Pauli III. ipsi libello exercitiorum præfixa, in qua illa approbat, valdeque commendat, & exhortatur fideles, vt eis vtantur. Quæ regula ita est infallibilis, vt non possit ei subesse falsum. Quod si modo ad hoc solido, & approbato benè vtamur, securi poterimus comparere coram Deo in die nouissimæ: vt qui modum & viam ab ipso nobis præscriptam tenuerimus: quod si decepti viximus, ab ipso Deo eiusque Vicario decepti fuerimus. Sed cum sit impossibile, quod nos Deus decipiat, & quod eius Vicarius in ijs, quæ toti Ecclesiæ proponit, aberret: ideo nos eum modum tenentes nec decipimur, nec erramus.

Ex his sequitur securitatē Orationis non consistere in sensis ac delicijs spiritualibus; nec in eo quod quis sibi satisfaciat; sed in vera Ecclesiæ, nostræque Religioni obediētia exhibita. Multos enim vidimus, internas delicias ac sensus habentes, & lacrymas fundētes, esse tamen deceptos, eò quod sicut Saul, proprium iudicium sequantur, quod est Dæmonium voluntarium, errorum seminarium & hæresum scaturigo. quod ipsemet vidi Hispalijs, vbi erat quidam hæreticus Iulianus Villaverdius, missus à suis vt ageret cum hæreticis, qui tunc occulte

occultè versabantur in Hispania. Captus fuit, & iussu Inquisitorum egi cum homine, eiusque affectum deuinxi: & cùm ei dicerem, me salutem eius valde desiderare, respondebat: se etiam desiderare meam; sed hoc interesse, quòd ego existimarem: me salutem consecuturum per ea quæ docet Ecclesia; se verò, per id, quòd ipsi videbatur. Loquebatur cum magno sensu de ipsius Dei rebus & interdum lacrymas fundens dicebat: Benedictus Deus qui consolatur nos in tribulatione nostra. Sibi que satisfaciens de via illa sua, dicebat: ipse enim spiritus testimonium perhibet & c. existimabat in foelix: spiritum sanctum internum ei testimonium reddere, quòd bonam viam teneret: quod tamen non sanctus; sed proprius, coecus, & obstinatus spiritus dictabat. Combustus est viuus, cum tanta teneritate, ac lacrymis ut omnes obstupescerent: prudentes tamen advertebant, Sathanam se transfigurasse in Angelum lucis, ut eum deciperet, ac obduraret. Hoc autem inter nos & illum discrimen erat: quod ille proprio iudicio duceretur, nos autem obedientia sanctæ Ecclesiæ: quam certa fide credimus à Spiritu sancto regi, ac gubernari: ac iudicium proprium est dæmonium, quòd appellant meridianum. Etiam Pater Magister Auila, post multos annos in Oratione positos, deprehendit, se in multis quidem rectè ambulasse, sed in multis etiam aberrasse; & de vtrisque monebar me & quosdam alios Patres, qui morabamur Montillæ: exhortans nos ad gratias Deo agendas, quòd nos ad ferream Obedientiæ vitam vocasset.

UT ergo ad modum Orationis nostrorū exercitio-

citiorum veniamus, suppono *primum*: quamvis verum sit, posse Creatorem absque vlla præiua causa creaturam suam consolari: ordinariè tamen consolari ac promouere adiuuantem se: quare incumbenti & contendenti contritionem habere, Deus dat deuotionem; & pugnanti, suasque tentationes & passiones vincenti largitur *Manna absconditum*.

DEINDE quamvis charitas sit, quæ nos faciat incipere, progredi, recteque finire viam spiritua- lem: ipsamet tamen charitas incipientes inclinat ad poenitentiae & mortificationis actus eliciendos; Proficientes, ad actus ædificationis sui & proximorum, imitantes virtutes in vita & passione Christi D. N. prælucentes; Perfectos impellit ad actus amoris & gaudij de perfectionibus Dei & Christi D. N. & ex benè factis, ac malis tolerantis eius causa.

TERTIO, quòd licet cor, in quo virtus aliqua aut spirituale donum prædominatur, ex omnibus substantiam hauriat virtutis illius prædominantis: exempli causa, si prædominatur spiritus humilitatis, aut contritionis: etiam ex ipsa Christi Domini nostri resurrectione, & ex ipsis Dei proprietatibus & perfectionibus humilitatem habet & contritionem: quemadmodum noster Petrus Franciscus Borgius ad eò excellèbat in humilitate, vt ex omnibus, quæ gerebantur, & accidebant se ipsum humiliaret, & confunderet: ac, non sine peccatis ita exigètib, non videmus nunc aliquotale multum eminere. quare talem materiam non oportet assumere, quæ ex se animam ad id adiuuet, quo iuxta suam dispositionem opus habet.

QUARTO,

QVARTO, in nostris exercitijs materia est & forma præclara adactus triplicis viæ, Purgatiuæ, Illuminatiuæ, & Vnitiuæ, hoc est ad purgandam, proficiendam, ac perficiendam animam cum auxilio Dei aptissima. Ad primam viam, sufficientem & optimam præbent materiam exercitia primæ hebdomadæ, de peccatis scilicet, morte, iudicio, & inferno; ad secundam exercitia secundæ, & tertiæ hebdomadæ de Incarnatione scilicet, vita, passione ac morte Christi Domini nostri: ad tertiam exercitia quartæ, de Resurrectione scilicet, Ascensione Christi, & amore Diuino.

QVOD ad modum & formam attinet: *primum* est necessaria præparatio, iuxta illud Sapientis: *ante Orationem præpara animam tuam.* Quod a *Eccl. 18. 23.* fiet, si diligenter Additiones, & Regulæ seruentur, quæ ad benè Orationem habendam præscribuntur; si interdiu cor & sensus custodiantur, adhibito examine generali & particulari defectuum occurrentium: vt his purificata anima, possit sine impedimento agere cum Deo. *Deinde* addenda est cooperatio ipso tempore Orationis exercendo potentias animæ, memoriam intellectum & voluntatem, sensusq; interiores, cogitando de ipso mysterio; & discurrendo per ea, quæ in ipso continentur; excitando voluntatem ad amorem, aut odium boni aut mali, quod in eo apparet; & internos sensus applicando ad virtutis suauitatem & dulcedinem; vitij verò horrorem & amaritudinem degustandam.

TERTIA est applicatio ad finem Orationis, ad fructum ex ea hauriendum: & hoc est, quod noster Pater S. Ignatius sæpius repetit in exercitijs,

kk

tjjs,

tijs, cùm dicit: reflectar super me ipsum, ad fructum aliquem percipiendum. Circa quod quinque res magni momenti sunt obseruandæ. *Primus*, tempus ipsum Orationis non esse expendendum in rebus & virtutibus generatim perpendendis: *exempli causa*, quàm sit præclaræ humilitas; quàm præstans charitas &c. Sed oportet reflexionem ita fieri super me ipsum, ut videam, quantopere hac virtute vel illa indigeam; & consilium accipere, & constituere apud me de ipsa emendatione; petita à Deo ad illam gratia, & proposito emendationis sapiùs renouato: alioquin æquè carnales manebimus, & passiones nostræ æquè excitatæ ac viuæ, atque antea: nam tormentis in altum explosæ, arx nec deijcitur, nec læditur. *Deinde*, quod ordinariè progrediendum sit iuxta prædictum ordinem: nam licet tempus Orationis in eliciendis actibus amoris Dei, eiusque perfectionibus considerandis expendere, valde sit bonum: at si quis passiones suas viuas habens & immortificatas; & cùm de eis mortificandis ac moderandis agere deberet, in illis actibus hæreat: is verò error est, ac deceptio: & huiusmodi, quos tunc faceret, actus, non amoris Dei, sed amoris proprii censerentur: & sic perueniet ad domum superbiæ, quàm ædificauit amor sui: veritas Dei est, quæ accipitur medicanda; sed applicatio potest esse Dæmonis, qualis fuit illa, quam adhibuit in secunda Christi tentatione. *Hinc tertium* sequitur obseruandum, quod fructus

ctus ex meditatione capiendus, est morum meo-
 rum emendatio: vt benè faciam, & patiar pro-
 pter obsequium Christi Domini nostri, & vtili-
 tatem meam, ac proximorum, iuxta illud: *b Bona* b Matt. 7. 17.
arbor bonos fructus facit. Quarta est exsecutio
 eorum, quæ benè proposuimus & constitui-
 mus. Ad quod nominatim iuuant examina, ge-
 nerale & particulare; & aliqua pœnitentia ob ad-
 missos defectus: *c Regnum enim calorum vim pa-* c Matt. 11. 12.
titur, & violenti rapiunt illud: expugnatur enim
 illud regnum bonis editis operibus, sibi que
 ipsi vim inferendo, vt ea contra propriam pas-
 sionem exerceat. Quinta, hoc totum consistit in
 eo, vt applicatio rectè fiat, ad id exuendum & e-
 uellendum, quod profectum nostrum impedit,
 aut virtutem illam acquirendam, quæ nobis ma-
 ximè deest. Ad quod præstandum tutissima est
 Superioris aut Confessarij directio: quæ in genere
 tunc recta censebitur, si tendat ad nostram abne-
 gationem & mortificationem; ad veras solidas-
 que virtutes acquirendas; & proximos nostros in
 eadem re iuuandos; particularem verò directio-
 nem regula reiicit, ad considerationem & ordi-
 nationem Superioris, dicens: *quod ad Orationem*
& examina pertinet ipse cum vnoquoque con-
suetuat. Superior enim & Confessarius gene-
 ralia monita & documenta singulis debent pru-
 denter, iuxta cuiusque capacitatem & necessita-
 tem, applicare.

Hæc fuit prudentis huius & in rebus spi-
 ritualibus experti viri exhortatio: ex qua hanc
 tantum deduco conclusionem contra arrogan-
 tes, quod licet nos non debeamus diuinum
 spiri-

spiritum astringere, aut Regulis nostris, & præceptis orandi illum subijcere: ipse tamen vult, vt nos ipsos astringamus ac subijciamus legibus ac Regulis illis, quas in sua Ecclesia nobis præscripsit, sanctosque Patres docuit, quos nobis Duces & Magistros dedit: nobis autem illæ sunt, quas Pater noster Sanctus Ignatius in libro suo spiritualium exercitiorum præscripsit: quæ ferè sunt, quas communiter docent Sancti, ab omnibus Iustis seruandas: nolle autem vllis regulis astringi, est mera carnis libertas; & arrogantia superbix valde perniciosæ: quæ pro libitu suo interius propriij spiritus impetus sequitur: quos uedicabit fortè esse Dei, erunt autem Dæmonis. Quando autem Dominus aliquem uoluerit per viam priuatam & extraordinariam deducere, posuit ipse in Ecclesia & Religionibus suis Magistros, qui nouerint, eum dirigere iuxta id, quod intelligent esse uoluntatis & gloriæ Diuinæ, qui est admirabilis in modo & ratione suos electos deducendi: sicut fuit cum Patre nostro Balthassare,
de quo agere per-
gimus.

